
# DEO OPT. MAX.
# VIRGINI DEI-PARÆ
## ET S. LUCÆ ORTODOXORUM MEDICORUM PATRONO.
# QUÆSTIO MEDICA.

Pro aggregatione, in Collegio Medicorum Abbavillensium, discutienda.

*An Patrum in natos abeant cum semine morbi?*



E HOMINE quid cogitas? perfectius omnium quæ sub cœlo sunt entium, vivax, nulli obnoxium incommodo, commodis omnibus prædirum, præcipue vita beata & incolumi? non ita. Immo miseriæ morbi mors. Ecquid vivit homo? vivit, sed brevi, quid vita præterea, miseriarum morborum que nisi circulus & immensura. Hominem ideo si concipis, morbosum intra & extra concipe; intra animi pathemata, extra cætera non naturalia. Quid ira, quid gaudium, quid tristitia &c. Valeant in morbis producendis tibi referent ij quos multoties pene demiserunt orco. Non tam violenter & prompte quæ ab externis derivantur mala afficiunt, sed crede mihi non ideo mitius, imo quod minus celeriter agant, & iis paulatim assuescamus, eo certius periculosius que infligunt labem. Aere cibo & potu momento vix carebimus, sed in detrimentum vertitur rerum optimarum ubertas, nocent quæ mox profuerant, & tandem subsequitur pallida mors. Somno vigilia motu quiete &c. Sanitas firmabatur, sed vix converso sidere quæ ad sanitatem ad interitum deducunt. Cum tam latus & expansus sit morborum campus, quis ibit inficias hominem totum esse a natura morbum? at si in homine ita constituto tam certa & constans apparet necessitas lethi, quid aliunde quæris mortis causam? & in consensum

rapis delicta majorum, ut immeritus mori cogatur moribundus homo hæreditaria labe.

MOrbus affectus est contra naturam actiones lædens; per morbum tamen non intellige conamen confusum & inconditum naturæ tumultuantis, a via aberrantis, & male se tuentis; sed certum naturæ nisum & ordinatum ad materiæ morbificæ eliminationem in ægri salutem. Miraris! palam sunt omnibus pleuritis, peripneumonia, &c. Quæ tam constanter suum servant typum & ordinem in paroxismis, symptomatis, & crisibus. Morbus acutus alius, alius chronicus, huic velocitatis privatio nomen fecit, non enim horarum, vel dierum, sed mensium, interdum & annorum movetur circulo: Ille a motus celeritate denominatus, ut & a simptomatum vehementia; non vero facilius, nec natura fortuna ve magis faventibus, sed citius, celerius que sua decurrit tempora, quia ut plurimum febrem sibi adjungat comitem. Utrique sua materia, suus scopus, sua terminatio, sua constans & certa intentio; peripneumonia sputis ug. pleuritis sudoribus &c. At quænam est morbi hereditarij materia? quæ terminatio? qui scopus? quæ intentio. Morbum hereditarium dicunt affectum a parente simili morbo obnoxio in prolem transmissum obvitium seminis vel fœtus nutrimenti. At inquam, quænam est materia tam diræ labis, ubinam latet, cujusnam indolis. Acidæ procul dubio sufuitas mi pyrophile? latet in intimis massæ sanguineæ particulis morbificum illud seminium, eo usque dum sat est exaltatum & evolutum, ut totum postea sanguineum flumen inquinare valeat. Sed resipuit Medicina, præ conceptis Chymicorum erroribus liberata, furnorum fumorum que dædaleis extricata compedibus. In solidis rectius nidulari asseris solidorum assecla? dicas velim quo modo solida acceptam semel depravatam impressionem, nec emendant, nec adaugent; & cur tandiu latet actionis expers vis impressa. Nullum potius autumes esse morbum hereditarium, neminem que nisi prius merita affici macie. Dubitas? ad generationem attende, & ex ea nodum solve.

DUdum perijsset, periret que modo universi terrarum orbis honos & gratia, suis brevi orbatus incolis, ni Deus omnipotens cuique in perpetuum propagandæ speciei anxiam indidisset cupidinem, ineluctabilis præcavendi exitij gratia. Omnibus ideo insitum ne mireris ignotæ mortis horrorem, omnibus vitandi flagrans desiderium: sed frustra, sive enim

fruges five animantes debentur omnia morti indomitæ. Una tamen in tanti mali super est lenimen generatio, mortis diceres amuletum: in hac ex sopito ac prope emortuo fonte suscitatur vivum aliquid phœnicis ad instar. Unum ergo malum omnibus commune mors, una solatio universis generatio, quidni etiam erit una generationis Mechanica? nullam dari absolutam generationem ratio demonstrat. Per generationem itaque intellige seminum ab origine mundi creatorum evolutionem & accretionem. Nulla tamen fit generatio, nisi ab utroque sexu una ad opus concurrente peragatur. In his idonea organorum requiritur dispositio, qua vitiata, fit impossibilis generatio. Tali organorum proportione gaudere vegetabilia constat, observatione facili patet insuper in masculinis plantarum partibus contineri & evolvi plantam integram, quæ ut incrementum suscipiat, in fœminæ plantæ partes genitales deponatur oportet. Animantia dispari gaudere conditione incongruum foret. At si oculis vitro optico adjutis adhibenda fides, eadem potiori etiam sorte donantur. Apparet enim genituram maris esse congeriem animalculorum in liquore natantium, pernicissimo que motu præditorum (si sunt ex homine sano, quod secus accidit in senibus & morbo confectis.) Ista animalcula vermes dixerunt; in ijs luculenter observantur cauda & caput, hoc totum animalis rudimentum, hæc vasa umbilicalia esse, credendum est. Genituram fœminæ si consideres, hanc constare ex vesiculis liquore quodam igne concrescibili plenis, nudis deprehendes oculis. Vesiculæ istæ ova audiunt; ex ijs omnia oriri qui dubitaret, naso suspenderetur adunco: ex ijs tamen ut alimentis, non principijs. Sed accipe generationis mechanicam in homine & ab ea disce omnes. Peractis ut decet marem inter & fœminam peragendis, semen maris saltem ex parte uterum subit, ex hoc vermiculi vividiores, robustiores, majorique motu præditi, per tubas ad ovarium appellunt, quod veneris æstus, & titillatio tubis admovit; ubi huc ventum est, vermiculi ova matura, idest quorum humores sunt ita præparati ut possint alere, per cicatriculam (si patet) subeunt, & ijs implantantur cauda, sic que constituunt unicum corpus, constans tamen diversis admodum corporibus, insunt enim placenta, vasa umbilicalia, & membranæ fœtum involventes. Ovo sic unitus vermiculorum unus aut alter pro numero ovorum maturorum, ab ovario in tubam delabitur, qua mediante fertur ad uterum, huic annectitur per placentæ corporum glandulosorum inosculationem: ab his succus nutritius elicitur limpidus ex utero, & in membranas fœtum involventes transcolatur. Hoc humore circumfuso vescitur ore fœtus ad debitam usque accretionem, &

hujus consumptionem. Quo tempore fame percitus, calcitrando facta via vi, claustris que præruptis, partim suis conatibus partim uteri contractionibus, in lucem prodit, aërisque potitur munere.

CRedis solummodo liberis dandam operam ut optatæ valetudinis generes filios ? credis ex quolibet semine sive sano sive vitiato procreari liberos hujus qualitatum participes ? hallucinaris. Ad generationem enim non sufficit idonea organorum dispositio & structura, sed & debita utriusque ad opus concurrentis temperie, laudabili habitu, seminum que optima temperatura opus est, vermiculus sit oportet vividus, agilis, robustus & succiplenus, ovum maturum, cicatricula aperta : dum hæc ita sunt, faustam semper & fœlicem expecta progeniem, hæc si vel tantillum deficiunt, nulla ne languida quidem speranda propago Vermiculum enim languidum torpidum & moribundum ad ovarium usque penetrare, ovum per cicatriculam subire, & ex eo alimentum suscipere, morbum que in eodem statu permanere posse quis credat ? nisi judæus appella. Vis tamen ut abeant in natos patrum cum semine morbi ? pugnat cum ratione sententia. Quomodo enim ex homine male sano, tabe u g. vel phthisi, & podagra confecto, vis oriatur genitura probe temperata, vel potius vermiculi sat actuosi, sat veloces, qui valeant subito hos anfractuosos permeare recessus, quod ni faciant in instanti, postea peragere non dabitur, nam recedunt quæ mox ad invicem accesserant partes. In hominibus his & alijs morbis laborantibus ( si ut dictum est oculis non deneganda fides ) videas hos vermiculos raros admodum, lentos, morbo emaciatos, exanimes, & plerumque deesse. Ex his animalculis suscitari posse hominem qui assereret nugari videretur. At si isti vermiculi ad generationem sunt plane inepti ( ut revera sunt ) per eos in maribus nullam dari morborum communicationem patet. A matre oriatur ergo oportet morbus hereditarius. Quis id audeat asserere nisi his in rebus plane rudis. Neminem latet in fœmina morbo gravi affecta ( ut & in alijs ) inustam labem solidis continuo communicari fluidis, & eam quæ mox in una insidebat parte perniciem, in totum brevi corpus esse transeundam. At ovum in tabida u g. est illæsum & immune a partium aliarum lethali contagio ? humores in eo contenti integram servant qualitatem cicatricula patet ? dic velim quis Deus hæc otia fecit ? quod tamen ni fecerit, in vanum vermiculus tentabit cicatriculam subire & si tandem in hanc irrepit, longe pejori donabitur sorte, interitus enim proximus erit primæ formationi, nam patet sine alimentis vivere non dari, faciliusque tamen esse

tiis carere quàm horum vice toxico uti. Negas toxicum esse ovum corruptum & putrefactum vermiculo mollis adeo & tenelli corporis ? attende ad ea quæ pariunt mala victus ratio quadragesimæ, & temporis pascham subsequentis. Sat erit roboris tantillo animalculo, qui valeat resistere tantæ molis veneno, unde id illi contigerit mente quis capiet ? vides impossibilem esse in male affectis parentibus generationem ; quod cum ita sit, impossibiles pariter esse morbos hæreditarios probare quid opus est. Esto tamen generetur fœtus ex vermiculo male affecto, labem etiam contrahat a prava ovi qualitate, & a viciata humoris amnij constitutione : verum quid in causa est cur tandiu resistit fœtus malignitati istius alimenti ? & cur post multos tantum annos vires suas exerit semen illud morbi paterni, incantatum que velut remanet ? id certe ne concipi quidem posse nedum cognosci autumor. At si revera morbum contrahit fœtus in utero, cur ista semina mali non opprimuntur dum nova sunt ? vel ita accrescunt ut fœtum occidant. Omnibus notum est usu lactis, & victus humidi, inveteratam sæpe edomitam fuisse phthisim, fugatam podagram annosam &c. Quid ni & hi affectus in incunabulis iugulabuntur in fœtu & pueris eodem victu salutifero utentibus ? fovet, ais, viciatæ matris lac ? non ea in est illi cordis durities, ut sui conscia morbi, illum puero infundere audeat. An post hac morbos hæreditarios esse contendes ?

PAlam est omnibus, ais, a parente phthisico phthisicum, a podagrico podagricum generari filium, unde ergo morbus filij nisi aparente ? neutiquam. Unde patri contigerat, ab eodem fonte derivata clades est filio, eadem expertus est filius ac pater cur pari mercede non donabitur ? vino veneri que incubuit enixe, cur podagra horum filia non mulctabitur. Non abeunt ergo in natos patrum morbi sed mores ; juvantibus aliunde alimentorum usu, locorum & ætatum negotijs, parentum que & nutritiorum colloquijs & consuetudinibus. Vino deditus pater, infanti nil nisi heroïca patulo promulgat ore facinora, his facile imbuta tenella pueri mens delectatur, & blanditur ; jamque transit ad opus, scyphorum guttulas lambit avide, hilariter mirantur & assentiunt omnes, strenuum brevi fore potatorem patri similem, imo majorem prænunciant & exoptant. Adolescit puer, paterna libenter calcat vestigia, imitatur, & superat. De venere idem esto judicium, simul atque subijt mentem vesana illa cupido, crescit in dies, carpit que vires paulatim, eoque devenit, ut sui impatientes œstro velut percitos præcipites agat in omne vetitum nefas. Ab uno horum vitio

quot corpori oriantur mala, non facile est dicere; quot ab ijs una concurrentibus, plane impossibile: quid enim venus ebria curat? patet ideo anilium fabularum ad instar habendos morbos hæreditarios. Pavidas igitur mulierculas territent magna hæc vocabula, vel potius effrenatorum vitijs sint opprimento. O me miserum libidinosus, ait, libidinum patris penas immeritus luo, vitam ago cœlibem, vino vix labra proluo, podagra tamen laboro, hunc morbum esse hæreditarium quis negaret? nisi insulsus; cum eo tam dire fuerit vexatus pater. Fucum olet ista querela, ab ea cavete, lusit in umbra voluptate privatus robustiore. Non facit ad palatum hæc sententia? Hippocratem consule & ab eo edisce neminem ante veneris usum podagra laborare. A venere solum modo oriri podagram asserere, errare est. Sine Cerere & Baccho frigescere Venerem notum est omnibus. Bibacitas ideo, vini que præcipue & aquæ vitæ intemperantia, veneri auxiliares præbent manus, & ad unum una concurrunt scopum; unde apprime,

*Nec Veneris nec tu vini capiaris amore,*
*Vno namque modo vina Venus que nocent.*

Ecce instat mihi alter, ait, morte magis metuenda senectus, nervorum resolutione laboro, tremore manuum, aurium tinnitu, titubant genua, corporis onus male sustinent pedes laborantes, ea omnia a patre accepi, dolete fortunam! nugæ, somnia: nimium ne crede colori: sunt veneris monumenta nefandæ. De phthisi, & alijs morbis vulgo hæreditatijs dictis, idem asserere absurdum ne esset? sed jam satis, & instar omnium hæc sint. Imposterum itaque clamitent incassum delicta majorum se immeritos luere, affici que morbo non sibi debito, cum nullus sit morbus quem rerum non naturalium usus immoderatus, non valeat accersere; moderatus vero præcavere, & persæpe debellare.

*Non ergo patrum in natos abeunt cum semine morbi?*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Carolus Retart, Serenissimæ Principissæ Aurelianensium Ducissæ fato functæ, Medicus.*
*M. Ludovicus le Bel.*

*M. Carolus Lucas.*
*M. Jacobus le Sergeant.*
*M. Clemens Hecquet, Serenissimi Principis Elbovienſium Ducis, Medicus ordinarius.*
*M. Antonius le Sergeant.*
*M. Nicolaus Machart.*

Aſſerebat Abbavillæ Magiſter FRANCISCUS DARGNIES Abbavillæus, Doctor Medicus Remenſis. Die Junij Ann. R. S. H. 1706.